DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

AMBUSTIONIBUS.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
AMBUSTIONIBUS;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES HOWELL,

CAMBRO-BRITANNUS;

LYCEI MEDICI LONDINIENSIS,

ET

SOCIET. PHYSIC. LOND. GUISIANÆ

SOCIUS ORDINARIUS

"*Sunt lachrymæ rerum, et mentem mortalia tangunt.*"

VIRG.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1805.

VIRO OPTIMO,

DAVIDI DAVIES, M. D.

QUI

MARIDUNI

MEDICINAM DIU PROSPERRIME EXERCUIT,

CUJUSQUE

FIRMA AMICITIA

A PUERILIBUS ANNIS

USUS EST;

HANC DISPUTATIONEM,

GRATI ANIMI

MONUMENTUM,

SACRAM

VULT

JOANNES HOWELL.

VIRO SPECTATISSIMO,

CAROLO COLLINS,

CHIRURGO,

SWANSEÆ

ARTEM SALUTIFERAM,

SECUNDANTE APOLLINE,

FACIENTI;

A QUO,

MEDICINÆ INITIA

DIDICIT;

PEREXIGUUM HOC

ANIMI FIDÆ ET SINCERÆ AMICITIÆ MEMORIS

TESTIMONIUM,

LITERIS

CONSIGNAT

JOANNES HOWELL.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

AMBUSTIONIBUS.

PROOEMIUM.

§ I. DE re sanè difficillima, at cognitu tamen utilissima, paucis scribere nobis in animo est; de malis, nempè, quibus mortales afficiunt ambüstiones, et de curatione quâ his faustissimè subveniatur.

II. Quanti mortalium intersit scire, quibus medicamentis et remediis leventur, atque ad

 sanitatem

sanitatem perducantur ambustiones, fusè dicere non opus est. Quanquam enim coqui, et fabri quidam scilicet ferrarii, ærarii, plumbarii, vitrarii, tinctores, aliique haud pauci, quorum meminisse haud opus est, ambustionibus opportunissimi sunt; tamen nulli ferè mortalium existunt, quin, vitæ cursu, malo casu capiant ex his detrimentum.

III. Ambustiones dividi possunt in eas, quas *CONCRETA* faciunt; et in eas, quas *LIQUIDA*. Illius generis ambustiones patrio sermone *BURNS* appellamus; hujus verò, *SCALDS*. Hæc autem genera, quamvis causis dissimilibus oriantur, tamen, pro gradu, iisdem propè malis mortalium corpora afficiunt. Cùm ita sit, de utrisque communiter dicere nobis consilium est.

PARS

PARS PRIMA.

Quæ mala ex ambustionibus oriantur.

IV. PARTES, sive liquidis fervidis, sive candentibus solidis ambustæ, intolerando statìm dolore afficiuntur. Miseri mortales, quibus accidit tantum malum, ingentem derepentè tollunt clamorem, et, modò infantes sint, miserabiliter vagiunt. Brachia et crura, quasi furiis agitati, huc illuc dispergunt; neque, nisi multo pòst tempore, possunt se componere adulti, et ejulatum fletumque coërcere infantes. Infantibus haud insolitum est vagire, dum, viribus exhaustis, somnus, sicut misericordiâ motus, iis obrepat, brevemque doloribus afferat requietem.

v. Ubì

v. Ubì multa pars corporis vehementer ambusta est, dentes crepitant; intremiscunt artus; et, sicut febris accessu, horror totum corpus pervadit. Hæc mala, ut intermissione doloris interquiescunt, sic accessu redeunt. Sitis simul urget; arteriæ, tanquam febrientium, citatissimè micant, centies nonnunquàm et tricies sexagesimâ horæ parte.

vi. Sed quibus intereà malis afficiuntur partes ambustæ? Statim rubent et dolent. Neque multò pòst, si vehementer ambustæ sint, earum cuticula à subjacente cute resolvitur; et, præ effuso humore, qui inter eam et cutem interfluit, vesiculam plùs minùs amplam repræsentat.

vii. Partis, quam vestibus contectam humor fervidus, candensve ferrum, aliudve metallum quidlibet ambusserit, cuticula, vestibus exutis, deglubitur, et, si ex digitis manuum pedumve, trahit secum ungues.

viii. Hu-

VIII. Humor, inter cuticulam et cutem effusus, et, donicum aut resorbeatur, aut cuticula deglubatur, inclusus, tenuis est, et admodùm acris. Enimvero, præ acrimonia, irritat non solùm subjacentem cutem, et dolorem acutissimum movet; sed etiam contiguas sanas partes exulcerat, sicque facit ut serpat inflammatio.

IX. Acris hic humor, nisi, haud longo pòst tempore, aut cuticulâ rimis fatiscente effluat, aut cuticulâ incisâ emittatur, in sanguinem resorbetur; atque, cor et arterias præter modum ciendo, febrem, eamque sæpè gravem, excitat.

X. Hâc febre, vehemens si sit, vires dissipantur; atque ex patulis ambustarum partium arteriis effunditur humor absorpto acrior, ideoque minùs idoneus, qui bonum in pus convertatur, quod partes ad sanitatem perducat. Hinc patet causa, quarè ambustæ partes, quæ latè

latè patent, tam sanatu difficiles sint, tamque periculosæ.

XI. Nonnunquàm, sive vi caloris sive diuturnitate, cùm cuticula, tum subjacens cutis, tantum detrimentum accipiunt, ut non diutiùs ad munera valeant. Partes, quæ eò usquè ambustæ sunt, sanatu sunt difficiliores, et, quippe cùm interdum emoriantur, vitam in majus discrimen adducunt, quàm quarum sola cuticula detrimentum accepit.

XII. Ubì cutis sic emoritur, haud insolitum est gangrænam supervenire ambustis partibus; atque materiâ hinc absorptâ aut sanguinem usquè eò vitiari, ut cor et arterias non diutiùs stimulare possit, aut cor et arterias adeò malè affici, ut sanguine non possint excitari.

XIII. Cùm eò perventum sit, nocte quintâ sextâve, aliquandò seriùs, accedit delirium: arescit lingua: sitis urget: partes ambustæ, hìc illìc, maculis cinereæ fiunt: subsidunt arteriæ:

teriæ: miser sopore obruitur: post assumptam potionem, singultat interdumque revomit. Crescentibus in dies malis, non ambustæ solùm partes, sed etiam quæ circumjacent, detumescunt: inflammatio, nullodum pure facto, conquiescit, paulatìmque evanescit: quæ ambustæ partes nondùm cinereæ evaserunt, eæ cinereum ducunt colorem; et partes, anteà cinereæ, fiunt fuscæ et æruginosæ. Demùm, octavo plerumquè die nonove, interdum, at rarissimè, non ante duodecimum, miser fato concedit *.

XIV. Ubì autem ambustæ partes ad sanitatem inclinant, dolore conquiescente, et arteriis tardiùs micantibus, die quarto, quinto, sexto, septimo aut octavo humescunt, deinque pus formare incipiunt. Tùm crustæ, si quæ, paulatìm resolvuntur à subnascentibus carnibus,

* Vid. KENTIS. *Essay on Burns*, Cases A. B. et C. D.

bus, atque renatæ partes cuticulam sensìm obducunt *.

xv. Maturiùs autem seriùsve sanantur ambustæ partes, pro fabrica et sede; proùt majus detrimentum, minusve acceperint; et proùt idoneâ, necne, iis curatione subvenerit medicus. Aliquandò, paucis hebdomadis, percurantur; nonnunquàm, non ante aliquot menses, imò unum amplius annum elapsum.

PARS

---

* Vid. Kentis. *Essay on Burns*, Cases E. F.—G. H.—I. K.—L. M.

PARS SECUNDA.

Quo ambustio modo partibus mala afferat.

XVI. AMBUSTIO, ut nobis videtur, malis partes afficit subitò debilitando. Partes enim, sive humidis amburuntur sive solidis, ingens vis caloris, cui derepentè exponuntur, adeò vehementer incitat, ut dicto citiùs maximâ debilitate afficiantur.

XVII. Hanc ob debilitatem, non solùm arteriarum extremæ, quæ in venas patent, fiunt impotentes sanguinem æquè citò transmittendi, ac in ipsas arteriis magnis à corde profectis immittitur; sed etiam patuli arteriarum surculi, qui in summam cuticulam, et inter hanc pelliculam et subjacentem cutem, osculis

hiant, adeò relaxantur, ut solito faciliùs dilatentur, et justo plus humoris effundant.

XVIII. Quum autem, præ debilitate, arteriæ sanguinem tardiùs transmittant, quàm accipiunt; necesse est, ut, præter solitum, sanguine turgescant, et pars ambusta, in quam se distribuant, intumescat, rubescat, incalescat, et perquàm doleat.

XIX. Arteriis partis ambustæ sanguine sic subitò intumescentibus, patuli surculi ex his enati, et debilitate et laxitate justo aptiores redditi qui dilatentur, solito plus humoris effundunt, quo cuticula à subjacente cute elevatur. Sic res se habent in partibus non ità vehementer ambustis.

XX. Partium autem vehementissimè ambustarum nonnunquàm non arteriæ solùm sic debilitantur, ut non diutiùs possint sanguinem transmittere; sed etiam nervi, partìm vehemente, quam passi sunt, ambustione, et par-

tìm

tìm sanguine, quo distenduntur arteriæ, usquè eò stimulantur, ut prorsùs obtorpeant. Partes, quæ tantum ex ambustione detrimentum acceperunt, vitâ, ex toto, privantur; et, nisi, haud longo tempore, eas subjacentes partes, ipsæ etiamnum integræ et incolumes, repudient et abjiciant, materiâ ex iis absorptâ et in sanguinem conductâ cæterum corpus contabescit et moritur.

XXI. Parùm ad rem nostram interest, an irritabilitas ipsis fibris musculosis inhæreat, ut HALLERIANIS placet: an derivetur, ut contendunt ANTIHALLERIANI, præsertìm MONRO SECUNDUS, ab ea vi nervorum, quam, quippe nervis ipsis propriam, nec à cerebro acceptam, possumus *PRIMARIAM* seu *INSITAM* appellare; ut ab altera vi distinguatur, quam à cerebro nervi accipiunt, quæque ideo potest aptè nominari *DERIVATA* seu *SECUNDARIA*.

XXII. Utramcunque enim opinionem accipimus, æquè concludi potest, ambustas partes

nimiâ

nimiâ stimulatione subitò debilitari; neque rarò, ut ostendimus, usquè eò, ut emoriantur et ipsæ, et morte cæterum corpus afficiant.

XXIII. Hìc loci quæstio moveatur, quid sit *CONTINENS* seu *PROXIMA CAUSA* gangrænæ, quæ ambustis, haud secùs atque ulceratis partibus, nonnunquàm supervenit.

XXIV. Gangræna, ut nobis videtur, oritur aut ex *MORBIDA ARTERIARUM ACTIONE*, aut *MALO QUODAM HABITU EFFUSI HUMORIS*, aut *UTRISQUE SIMUL*.

XXV. Morbida autem arteriarum actio potest esse aut nimìs vehemens, aut justo imbecillior; quarum sanè utravis gangrænam inducere potest. Nimiâ enim actione arteriæ patulis surculis, qui in partem ambustam ulceratamve distribuuntur, aliquandò effundant *fibrinam* aut particulas rubras, quæ in bonum pus, quale carnes impleat et cicatricem inducat, converti non possint. Contrà, arteriarum, modò

modò admodùm imbecilliter micent, patuli surculi exhalent tantùm tenuissimas sanguinis partes, quales adeò non in pus converti possint, quo ad sanitatem perducatur pars morbida, ut in saniem acrem abeant, quæ, ne sanescat, impediat.

XXVI. Quinetiam haud raró accidit, ut malus humoris ex arteriis effusi habitus gangrænam moveat, vel saltem cum morbida arteriarum debilitate ad movendam conducat. Hoc fonte oriri gangrænam in putridis febribus, in *variola confluente*, et *ictero nigro*, omnibus medicis innotuit. Atque iisdem credimus causis supervenire partibus vehementer ambustis.

PARS

PARS TERTIA.

Quæ notæ spem ostendant, quæ metum.

XXVII. SUMMI momenti est, medicum præsentire et prænunciare, quæ indicia metu terreant, quæ spe consolentur. Qui enim horum ignarus est, eum raró arcessunt laborantes. Putant enim, quâ ratione curentur morbi, eum nescire, qui ignoret, quæ notæ bonum præsagiant, quæ malum.

XXVIII. Si partes aduruntur, quæ ipsæ ad vitam necessariæ sunt, aut quæ ad necessarias pertinent; sicut stomachus, gula, lingua, vel, ut interdum in ignifluis cavernis, pulmones; summum periculum est. Mali morbi testimonium est, ubì, septimo octavove die, partes, quæcunque

quæcunque sint, ambustæ, in crustas cinereas nigrasve arescunt; et adeò non sanescunt, ut gangrænâ afficiantur *: ubì, post ambustionem, ingens horror totum corpus pervadit †: ubì, magnâ vi febris superveniente, arteriæ vehementer agitantur: ubì adeò labant vires, ut partes vicinæ sanæ adustas regenerare non possint: ubì, sexto septimove die, accedunt delirium, sitis ingens, lingua arida, singultus et vomitus ‡.

XXIX. Contrà, bonum est, si partes, ad vitam haud necessariæ, tempore haud longo, quarto nempè die etiamve octavo ||, bonum pus effundunt, quale nec multò pòst cicatricem inducat: si vires vigent, neque tamen supervenit

* Vid. KENTIS. *First Essay on Burns*, pag. 85.

† Vid. KENTIS. *First Essay on Burns*, pag. 126.

‡ Vid. KENTIS. *First Essay on Burns*, pag. 79.

|| Vid. KENTIS. *First Essay on Burns*, p. 85. et 95.

nit magna vis febris. Bonum quoque est, crustas, si quæ, idoneo tempore resolvere sese, et decidere; pulmones non affici; ægrum nec vomere, nec delirare, nec singultire *.

PARS

---

* Vid. KENTIS. *First Essay on Burns*, Case C. D.

PARS QUARTA.

Quâ optimè curatione sanentur ambustiones.

xxx. Cæteris rei nostræ partibus absolutis, nunc considerandum est, quâ curatione ambustæ partes ad sanitatem perducantur. Hanc rei propositæ partem ritè exsequi, in primis arduum et difficile est; propterea quòd nulla medicinæ pars est, quæ, bis mille annorum, latuit densioribus tenebris obscurata, et de qua, vel nostrâ ætate, medici plùs inter se dissentiunt.

xxxi. Medici, ante Kentisium, ambustas partes medicamentis et remediis, naturâ diversis, imò etiam inter se contrariis, curabant. Consentiebant quidem omnes, sanguinem mit-

tendum esse; alvum purgandam; esculentis et potulentis ex materiâ imbecillâ vivendum; etiamque assumenda medicamenta ex iis, quæ refrigerent *. Censebant enim, ambustas partes non priùs curari posse, quàm aliquantùm sedata esset vis cordis et arteriarum.

XXXII. Verùm, quod ad externa attineret, quæ ambustis partibus admovenda essent, discrepabant inter se diversi auctores, et idem quidem à se ipso. Longè plurimi censebant, sedantia externorum optima esse, quibus partes, quæ ab igne leve tantùm detrimentum accepissent, ad sanitatem perducerentur. FERNELIUS quidem, FABRICIUS HILDANUS, FALLOPIUS, SWIETENIUS, HEISTERUS, et PAREIUS, vetustos scriptores imitati, existimabant, partibus ambustis igneam naturam, quam *EMPYREUMA* appellabant, fixam esse; et efficacissima, quibus

* Vid. KENTIS. *Essay on Burns*, pag. 82.

quibus eliceretur, et inflammatio discuteretur, esse igneas calidasve naturas, aut liquidas aut concretas, iisdem statìm applicatas *. Non solùm ut digereretur inflammatio, sed etiam ut præcaveretur, curabat SYDENHAMUS ambustas partes quamprimum *alcohole* fovendas.

XXXIII. Verùm partibus graviùs ambustis non tutum esse putabant igneas naturas applicare; et, parùm sibi consentanei, interìm calefacientia, interìm refrigerantia, jam emollientia, jam astringentia, admovenda curabant:

"*Obstabatque aliis aliud: quia, corpore in uno,*
"*Frigida pugnabant calidis, humentia siccis;*
"*Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.*"

OVID.

XXXIV. Diversas autem et contrarias curationes, in quas processerunt auctores, fusè exponere,

* Vid. *Médicine éclairée*, edit. ann. 1792.

ponere, nobis nequaquàm consilium est; eòque minùs, quòd nos ab incepto nimìs abduceret. Quum ita sit, curationem exsequemur, quam experientia et ratio KENTISIUM edocuerunt, dein KENTISIUS alios*; et quæ multos miserrimos ad sanitatem perduxit, qui contrariâ curatione certò perivissent.

XXXV. Ne, de hac verò propositi parte, nimìs longi simus, licet ambustiones dividere in eas, quæ nihil præterquam partes, ultra modum, stimulant; et in eas, quæ, dum partes aliquas vehementer stimulant, aliarum partium vitam exstinguunt, ipsasque in crustas convertunt. Curatio igitur, quippe quæ utriusque generis ambustionibus accommodanda sit, duas partes complectitur; de quibus separatìm dicere, nobis in animo est.

CAP. I.

* Vid. KENTIS. *First and Second Essays on Burns.*

CAP. I.

Quâ ratione curentur ambustiones, quæ nihil prætérquam aliquas partes, supra modum, incitant.

XXXVI. Quum, ut suprà diximus, pars, fervidis liquidis aut candentibus concretis adusta, usque eò stimuletur, ut, irritabilitate propè exhaustâ, non, nisi validissimis stimulantibus, incitari possit; reducenda ad sanitatem est stimulatione, initio quàm maximè vehemente pars pati potest, dein paulatìm deductâ usquè eò, ut sanitati conveniat.

XXXVII. Intereà, dum partis ambustæ incitatio paulatìm minuitur ad naturalem, cæterum corpus gradatìm solito plùs stimulandum est, donec pari ratione incitetur totum corpus.

XXXVIII. Deindè, ubì eò perventum est æqualitatis, stimulis, externis pariter atque internis, deductis, toti æqualiter corpori permittendum est, ut naturali stimulationi assuescat.

XXXIX. Quibus, tam externis quàm internis, hæc consilia perficiantur, nunc breviter exponere nobis in animo est.

XL. *Externa*—debent ea esse, quæ, supra modum, partes ambustas excitant; at minùs tamen, quàm liquida fervida, aut solida candentia, quibus hæ ambustæ sunt. Ex partibus enim, quæ subitò vehementer stimulatæ sunt, stimulationem derepentè subducere, neutiquàm tutum est; propterea quòd non possunt modicæ incitationi sese instanter assuescere.

XLI. Simul itaque ut arcessitus advenit medicus, debet *alcohole*, vel hoc cum *camphora*, pocillum fictile implere, aut idem *spiritu terebinthino*

rebinthino; dein in vase majore, aquâ calidâ pleno, ponere, ut liquor, quem continet, adeò incalescat, ut digiti immissi calidiorem pati nequeant. Tùm, ministris linteis aut lino, ambustam partem calefacto liquore bis continenter, terve, fovere oportet.

XLII. Parti sic fotæ medicus chirurgusve debet linimentum idoneum digestorium inducere. Hoc componi debet ex *unguento resinæ flavæ*, et tanto *spiritûs terebinthini*, quantum in linimentum liquefaciat. Hoc linimentum, linteo trito exceptum, fotæ parti ambustæ inducendum est.

XLIII. Hujusmodi linimenti non solùm cera et oleum obstant, ne quid vaporet; sed etiam *spiritus terebinthinus*, vel *alcohol*, vel *camphora*, vel omnia simul, vasa bibula sic excitant, ut tantum humoris imbibant, quantum exhalent patuli arteriarum surculi; quo sanè nihil, ad partem ambustam sanandam, plùs conducit.

XLIV. Hæc

XLIV. Hæc remedia, ut compertus est KENTISIUS, aliique qui, eo duce, experti sunt, HAMMICIUS nempè, HORNIUS, FIFEUS, BELLIUS, WILKINSONIUS, et LEIGHTONIUS, dolorem brevi, mirum in modum, mitigant *. Enimvero, linimento siccescente, haud insolitum est miserum mortalem assidentes rogare, ut denuò liquore, quem memoravimus, ambustas partes foveant.

XLV. Partes his remediis plùs semel quotidie curare, rarissimè, vel initio, opus est; imò, ut comperit KENTISIUS, plerumquè nocet: proptereà quòd, inter curationem, aëri permittitur, ut accedat; id enimvero quod plurimùm obstat, ne partes optatò sanescant. Quum ita sit, plerumquè ab initio sat est, ambustas partes, semel tantùm singulis viginti quatuor horis, nutrire.

XLVI. Ne

* Vid. KENTIS. *First and Second Essays on Burns.*

XLVI. Ne itaque aër accedat, ante singulas curationis redintegrationes, chirurgus aut medicus debet emplastrum priùs facere, quàm ambustas partes renudet; et nunquàm amplius uno tempore spatium retegere, quàm quod uno possit operire emplastro.

XLVII. Partes ambustas mero *alcohole* calefacto iterùm fovere, aut *alcohole cum camphora*, aut *spiritu terebinthino*, rarò necessarium erit. Modò enim, secundo die, ambustæ partes minùs rubeant, et earum inflammatio declinet, oportebit his stimulis parcere, et, horum vice, *alcohole dilutiore*, *tincturâ*ve *opii* tepefactâ uti; dein superimponere digestorium linimentum, quod jam memoravimus, at priùs igne, ad ægri corporis temperiem, calefactum, ne ex eo admoto quid horroris oriatur. His applicatis, permittendum ægro erit, ut, per viginti quatuor horas, priùs conquiescat, quàm adustarum partium curatio tertietur.

XLVIII. Tertio pòst diè, quàm ambustio ac-

cidit, dummodò partes ægræ pus faciant, ideoque sit quod ostendat, universum corpus pari ratione incitari; idoneum erit stimulans linimentum suprà dictum omittere, et, loco ejus, linimentum inducere, compositum ex *unguento resinæ flavæ*, et *oleo camphorato*.

XLIX. Quòd si, ut interdum, vel hoc linimentum nimìs stimulat, et partes ambustas irritat, *ceratum carbonatis zinci impuri*, aut *ceratum oxydi plumbi semivitrei acetati compositum*, inducatur; vel, ut compertus est KENTISIUS, unguentum, ex scrupulo *oxydi zinci* et unciâ *unguenti ceræ albæ* compositum. Hoc, idoneis intervallis, imponatur partibus, donec sanescant. Dein, ne nova pellicula aëre arescat, rimisque fatiscat, utile erit eam linimento, composito ex aqua calcis et oleo seminum lini, illinere, et veste contegere. Eodem porrò consilio, *oleum camphoratum* utile compertus KENTISIUS est*.

L. *IN-*

* Vid. KENTIS. *First Essay on Burns*; pag. 136.

L. *Interna*—assumenda intereà sunt, quæ cor et arterias stimulent, donec, sanis partibus incitatis, et sedatis partibus ambustis, communis universi corporis actio sit. Postquàm eò communitatis perventum est, stimulis tam internis quàm externis subductis, totum corpus pari ratione sedandum est usquè eò, ut omnes ejus partes eâdem tantùm, quâ ubì sanum est, vi sese exerceant.

LI. Hoc consilio, post ambustionem, quamprimum *æther* vel *alcohol* assumendum est; et iterùm, octo duodecimve horis. An utile sit *alcoholi* opii *tincturam* addere, nondùm satìs constat. Cyatho *alcoholis juniperini*, pauxillo aquæ diluti, sexaginta guttas hujus *tincturæ* curavit Hornius assumendas à misero, qui, in fodina carbonaria, *gase hydrogenio* incenso ambustus, toto corpore graviter perhorrebat; et bonis, utì videbatur, avibus.

LII. Per viginti quatuor horas, quæ insequuntur, hæc stimulantia interdicenda sunt,

et,

et, eorum vice, adhibendum est vinum aut cerevisia. Tertio die, si partes ambustæ inceperunt pus formare, opus erit etiam hæc vicaria stimulantia subducere, neque diutiùs corpus, ultra modum, incitare *.

C A P. II.

Quâ ratione curentur ambustiones, quibus aliquæ partes vitâ privatæ sint, aliæ tantùm, præter modum, incitatæ.

LIII. In curandis hujuscemodi ambustionibus, oportet medicos eorum magis remediorum rationem habere, quibus conserventur partes supra modum incitatæ, quàm eorum, quibus separentur partes mortuæ. Quò res ad intelligendum facilior sit, ostendemus, primùm quæ externa

---

† Vid. KENTIS. *First Essay on Burns*, pag. 141.

externa remedia conveniant; dein, quæ interna.

LIV. *Externa.*—Quò, gradatìm subducendo morbidam stimulationem, partes vivæ paulatìm resedentur, usquequò vim naturalem et salutarem exerceant, eadem, quæ suprà (XLI—XLIX.) memoravimus, applicanda sunt.

LV. Simul ut, his inductis, cutis, quæ ambustione pelliculâ nudata est, pus secernere seu formare incipit, quod interdum secundo tertiove die accidit; partes emortuis crustis contiguæ intumescunt, et patuli arteriarum surculi pus formare incipiunt, vasaque bibula mortuas partes à vivis separare *.

LVI. Quò crustæ faciliùs separentur à subjacentibus partibus, et decidant, iis superimponendum

---

* Vid. KENTIS. *First Essay on Burns*, pag. 143.

nendum cataplasma est ex lacte et pane triticeo, quod non solùm eas emolliat, sed vivas etiam partes leni calore foveat. Ante inductum cataplasma, haud inutile erit, crustas, quò odoris fœditate minùs ægrum ipsum et curantes offendant, *spiritu camphorato* fovere; summâ autem curâ adhibitâ, ne hic vivas partes tangat *, et supra modum optandum stimulet.

LVII. Siquandò, ut interdum, intermittunt arteriæ pus formare, quo renascantur ambustæ partes, et crustæ resolvantur, rursùs stimulandæ sunt aut *spiritu camphorato*, aut *oleo essentiali terebinthino*, donec salutiferam denuò operam navare inceperint. Quòd si, imposito cataplasmate, plus justo puris, ex crustarum marginibus, formatur, hi tepidâ *aquâ oxydi plumbi semivitrei acetati* lavandi sunt: dein aspergendi *oxydo zinci*, aut *carbonate zinci impuro*;

* Vid. KENTIS. *First Essay on Burns*, pag. 145.

puro; aut cretâ præparatâ subtilissimâ, quâ, ut compertus primùm CLEGHORNIUS est, dein KENTISIUS, nihil ad nimium pus reprimendum plùs pollet.

LVIII. Ubì partes emortuæ ceciderunt, medici, quò ulcera ad sanitatem perducant, debent summâ ope niti, ut vasa quæ exhalant, et vasa quæ insorbent, coæquatâ ratione agant; quippe sine qua, induci partibus ambustis cuticula non possit. Hunc in finem, opus erit interìm leniter excitare, interìm reprimere, non externis modò remediis, verùm interdum internis quoque.

LIX. *INTERNA*,—quibus cæterum corpus usquè eò excitetur, ut æquâ ratione agat cum partibus ambustis, eadem assumenda sunt, ac ea quæ suprà (LI.) memoravimus. Eorum autem iterùm hìc loci meminisse, non opus est.

LX. Tantùm necessarium erit ea addere, quæ, postquàm pus in partibus ambustis nasci

inceptum

inceptum est, ad crustas resolvendas contribuant. Hoc consilio, vires sustinendæ sunt, neque tamen corpus excitandum.

LXI. Hunc in finem, cibus debet esse ex materia valente, fermentatis intereà potionibus paulatìm subtractis. Aqua ex *cinchonæ* cortice assumatur; aut *cinchonæ* cortex cum lacte, quod melius est, quippe cùm corpus simul nutriat. Vespere utile erit anodynum assumere, quod somnum conciliet; propterea quòd naturales corporis actiones, quæ non obsequuntur voluntati, inter quietem meliùs peraguntur *.

LXII. In tali curatione perseverandum est, dum crustæ, ex marginibus, resolvi cœperint. Dein parciùs assumendæ carnes, at non ex toto tamen

---

* Vid. KENTIS. *First Essay on Burns*, pag. 147.

tamen subducendæ, donicum emortuæ partes prorsùs deciderint *.

LXIII. Tùm, ne pus, ultra quàm quod satis est, nascatur, et æger lentâ febre contabescat †; simulque ut renatæ carnes ulcera optatò impleant, et pelliculam capiant; revalescens parciore diætâ vivere debet. Eundem in finem, nonnunquàm, ut comperti sunt KENTISIUS aliique medici, perutile erit catharticis, *jalapâ* nempè, et *muriate hydrargyri dulci* ‡; aut *muriate hydrargyri dulci* et *pulvere cathartico* ||, alvum compluries movere §.

---

* Vid. KENTIS. *First Essay on Burns*, pag. 147.

† Vid. KENTIS. *Second Essay on Burns*, pag. 64.

‡ Vid. KENTIS. *Second Essay on Burns*, pag. 77.

|| Vid. WILKINSON. in KENTIS. *Second Essay on Burns*, pag. 100—106. et 114.

§ Vid. KENTIS. *Second Essay on Burns*, pag. 65.

FINIS.